



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

Cl. Iuditha Heroïna, Victrix, Triu[m]phatrix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

se fertur. Adeo DEUS novit è malis elicere bona;
& siccatis alibi fontibus, riuos aliò rivos deduce-
re. Jeremias verò magisterium virtutis fortiter di-
cendo inchoavit, fortissimè patièdo absoluit; pur-
puratus veritatis testis, constantiæ decus, viva ima-
go non tantum hominis, felices inter ærunas pro-
bati; sed etiam DEI, inter eas morituri.

NARRATIO CI. JUDITHA, HEROINA, VICTRIX, TRIUMPHALIS.

Ex lib. Judith.

Anno Mundi 3346. ante Christum, 707.

EXposita Regni Judaici variâ fortunâ, quâ cum
per Reges suos, tum per hostes externos sa-
pius concussum, per Ægyptios labefactatum,
denique per Chaldaeos radicitus evulsum concidit;
& Jerosolyma, velut triste funus, inter cædes, ra-
pinas, incendia, elata, ipsa sibi rogos & bustum fu-
it, lessum ei canentibus Isaiâ, Jeremiâ, Ezechiele,
aliisque Prophetis; restat, ut lugubribus lætiora
subjungamus: *Judithæ*, Hebræorum Amazonis, Vi-
ctoriam & Triumphum. qui tamen in nonum
Manassici imperij annum incidit; duximus tamen
um suo tempori non reddendum, ne historia Re-
gum Judæorum interrumpetur; quæ, ut inter se
cohæret, ita scripture conjungi, commodius vi-
debatur. Illis igitur expeditis, nunc in conspe-
ctum

tum Dabimus Heroïnâ Iuditham, Formæ & Vir-
tutis miraculum,

Merodachus [is, qui Regem Ierololymorum *Ma-*
nassem, Babylonâ tractum, in vincula, pæniti-
tæ necessitatem compegit] occisô *Deoce Arphaxa-*
lo Medorum Rege, rebus elatus secundis, Orien-
tis se Monarcham, assumptô *Nabuchodonosoris* cogno-
mentô, ferre cœpit. Cui cum constitutum esset,
totum terrarum orbem sceptro suo subijcere, com-
municatô cum ducibus ac dynastis consiliô, præ cæ-
teris *Holofernem*, natione Persam, virum bellicosum
ac ferocem, militiæ Principem delegit, ei que ne-
gotium dedit, uti cum numerosissimis peditum e-
quitumque copijs quidquid in Occidentis terris ad-
huc Deorum, hominumque, juris esset externi,
Babyloniô substerneret imperio. Tota igitur bel-
landi causâ, libido dominandi quàm latissimè.

Regnabat autem apud Judææ reliquias, nam in-
colarum plurimos Babyloniâ captivitas tenebat] ea
tempestate *Manasses*, Ezechie filius, jam novenni-
um, sed exiguis admodum, nuperrimè que repara-
ri coeptis potentiæ viribus: ut quem in custodiam
[quemadmodum memoravimus] abductum Baby-
lonicam, arctè que catenatum, vixdum precariô
tandem solutum, è compedibus in libertatem *Mero-*
dachus remiserat. Quiescebat hic igitur, ac tacitus
quancunque belli fortunam opperiebatur. At-
que hæc causâ fuit, cur *Holofernes*, cum in univer-
sa circum regna, populôsque impetum faceret; &
ipsam adeò Galilæam bello premeret, ac Samaritis
ei finitimis immineret: Iudæam tamen, ac Regem
eius *Manassem*, armis hætenus intactos vel negli-
geret,

geret, imbecillitatis contemptu; vel in victoriarum suarum quasi mantissam differret; certissimus interrim, Ierosolymorum nihilominus Templum [ut alia gentium aliarum omnia] redigere tandem in potestatem suam: & vel in Merodachi venerationem illud penitus transferre: vel, si Iudæi refragerentur: id everfione, flammisque, sicut iussus erat, eradicare.

Cumque belli tempestas multas regiones sævendo percurrisset; Victor urbium, gentiumque cunctarum in Chananitide substitit, donec omnes undique copiae, quæ varias provincias depopulabantur, unum in locum confluerent. Cæterum tantus terror nationes omnes ac terras pervaserat, ut non hominum, sed voracissimarum agri pestium ac locustarum innumerabilium, ac tigrisum Hyrcanarum imago quædam esset horrida. Quacunque communis, Asiæ Syriæque tyrannus inceserat; inde pecora, jumenta, facultates abigebat: oppida, castella, munitiones exscindebat: segetibus ac messibus, abundans ipse frumento, flammam iniiciebat: oliveta cum vineis & hortis extirpabat. Dis præterea sacratos lucos ac nemora, nullo Veræ Divinitatis studio, sed omnis omnino, cujuscunque Numinis, abolendi furore, deiiciebat; ut Merodachum suum extolleret. Ad hæc mares, bello vel inhabiles, vel invitos, bellò tollebat. Juventutis omne robur, ac fortissimum quemque, sua sequi castra compellebat. Quod verò faminarum esset, id omne vel in servitutis ludibrium, vel in libidinis ministerium abstrahabat. Quod autem aspectu, sensuque inferrimum erat: crudelitatem illius animi, furorisque

que violenti rabiem ne obsequium quidem, ac de-
ditio supplex; nec in servitutem inclinatae cervices,
ac preces legationum emolliebant.

Tantis fortunæ, victoriarumque successibus in-
flatus, & in dies factus elatior: ad extremum, eò
dementiae, quâ carere non potest ulla superbia, pro-
gressus est: ut ne Veri quidem, in his, quæ bello
necessaria, salutariâque forent, patiens, adulatori-
bus solis totum se daret: quorum ore ter maximus,
& omnis ævi, memoriæque mortalium, imperator
agminum invictissimus, ac belli Fulmen proclama-
batur. *Achiorem* contra, gentis Ammoniticæ, fidum
sibi, tributariumque ductorem, quòd is super Isra-
ëliticæ nationis, quæ Galilææ montanas regiones
insederat, origine, viribus, & urbibus interrogatus,
ex annalium priscorum, & famæ fide retulisset id,
quod res erat; idque non sine laude gentis illius, nec
sine fida pro Duce sua sollicitudine; truculentus il-
le, partim purpuratorum indignatione, partim in-
sistæ sibi superbiæ stimulis agitatus, tanquam vanilo-
quum explosit. Nec contentus arrogantiaë plenis
verbis, quibus æquè Cœli DEum, ac mortalium
omne genus & robur præ se, suoque Rege despici-
ebat: cum ingenti stomacho, fastidióque submovit
à castris suis *Achiorem*. Cumque certissimæ, nec
multò post secuturæ necis interminatione, contemp-
tum eum, à partibus deinceps *Circumcisorum* stare
iussisset, ad arborem insuper hostilis soli, manibus
revinctum ac pedibus, Israëlitarum exposuit arbi-
trio. Plura quoque, nec inferioris insolentiaë, sæ-
vitiaëque specimina, dum ad *Berbuliam*, Zabuloniz
Tribus oppidum in Galilæa, sedet, edidit: obsidij

malis omnibus, quæcunque com meatibus & aqua-
tione prohibitâ, pati possunt oppida circumfessa;
DEI populum innoxium, moenibus illis conclusum
excrucians: ad supremam vitæ desperationem,
quantum consilij, mentisque suæ fuerat, compel-
lens. Sed hunc talem Deorum pariter, hominum-
que fastigia fastu suo, barbariæque deiicientem, DE-
us superbiorum destructor, post dies Bethulienis
obsidionis minùs, quàm triginta, dejecit invicem:
non sanè centum viginti millibus peditum, equitum-
que viginti duobus millibus, quibus Holofernes Be-
thuliam premebat; sed unius Fæminæ quinque digi-
tis, quibus hæc complexa acinacem illius [S. Scrip-
tor pugionem vocat] ebrietate tunc natantis, ac
Veneris certissima designatione sopiti, caput à cer-
vicibus recidit. Ea, Juditha fuit, *Merari*, viri in-
ter suos potentis, filia, Bethulienis vidua; de Tri-
bu Simeonica, formæ cum virtute certantis, rari-
tate præ cunctis illius ævi viragines conspicua:
fortitudine verò manûs, & animi, seculorum om-
nium heroidas longissimè supergressa.

Liberatæ porro civitatis series hæc est. *Abiit*
vinculis ab ijs solutus qui exploratum ex urbe egres-
si fuerant, adducitur Bethuliam, amicè, honorifi-
cèque habetur. Is ubi exposuit insolentiam, & mi-
nas truculenti *Holofernis*, vehementer auxit curam,
Ozia jam antè, ceterisque Principibus civitatis in-
jectam, omni suppliciorum genere Divini Numinis
propitiandi. *Eliachim* quoque seu *Ioachim*, *Soly-*
maus Pontifex nihil omisit earum rerum constitu-
re quæ vel ad DEI, vel ad hostis iram arcendam
pertinere videbantur; ab hoc *Oziam*, virum primæ
digni-

dignitatis, & belli peritum; confirmandis Bethulien-
ensium animis Hierosolymâ submissum, idonei Scrip-
tores volunt. Interea de die in diem cuncta fiebant
obsessis arctiora; Bethulia cum extrema aquarum
penuria conflictatur, incisis & aversis fontium ca-
nalibus; aut militari custodia præseptis. Unde
complorationes, lamenta, desperatio: nihil jam re-
stare salutis ad ultimam necessitatem reductis; foris
instare hostem; intus deficere vitæ subsidia; DEO
se invisos, atque ab eo desertos tradi barbarorum
in manus; incusare magistratus, quod protollendo
deditionem, crudelitatem obsidentium exaspera-
rent: satius esse, vivos in arbitrium Holofernis con-
cedere, quàm acerbissimo mortis genere, siti eneca-
ri. Rursus revocata in mentem superbi victoris
immanitate, & vicinarum urbium exemplis percul-
si, divinæ spem misericordiæ in se ipsos reflectere,
sublatisque cælo manibus, Numen æternum, sui
Vindicem honoris obtestari, magnis planctibus cle-
mentiam implorare. Quibus fatigati clamoribus
& fletibus, primores civitatis, & omnium princeps
Ozias, pollicentur se urbem hosti, nisi quintum in-
tra diem cælo veniant suppetiæ, permissuros.

Intellexit eam animorum abjectionem Iuditha;
evocat Oziam ad se [tantum auctoritatis fuit in præ-
clara matronæ virtute gravitateque, ab arrogantia
fastuque procul alienæ] & duos è primatibus, *Char-*
mium & *Chabrium*; habere se, quæ ad communem pa-
triæ salutem cum ipsis communicaret. Neque du-
bitarunt illi, sanctimoniâ vocantis permoti, veni-
re. Præsentes gravi oratione coarguit, quod cer-
torum præfinitione dierum, divinæ modum Provi-

dentiae statuere non vererentur; viderent etiam atque etiam, ne diffidentiâ, usque adeo Bonitati Numinis injuriosâ, furorem accenderent potius, quam misericordiam provocarent. Nunquam adesse DEUM propius, quam cum longissimè abesse videtur; nihil non posse apud eum preces demissas, confitentium reorum suspiria, flexas in obsequium cervices, & animos quidvis antè perpeti, quam religionem prodere paratos. Sic Abrahamum, sic Isaacum, Iacobum, Moysen, DEO per omnia probatos, viam sibi, adversarum tolerantiam rerum, ad magnas felicitates munisse. minora peccatis esse supplicia; nec certius ad ea avertenda remedium suppetere, quam mentem æquam, & in quacunque fortunæ concussione, divinò præsidio nixam. exemplis se Majorum doceri, populum DEI jactari posse, mergi non posse. Id ita sentire eos præcipue, par esse, quos suprema potestas officio patriæ, religionisque tutandæ admovisset; ipsos esse columna, quæ nutantes sustentare, non autem in ruinam impellere debeant labantes. Urbes defendi magis pectoribus, quam propugnaculis; sanguinem in causâ tam honesta propinantibus, vel è pumice fluxuras aquas, quibus suam ipsi sitim, hostium ferociam extinguant. Meminissent autem, DEO nec diem posse dici, nec præscribi.

Dedit in ruborem viros constantia femina, conciliante dictis ejus fidem ac reverentiam, rara laude, famaque apud omnes, integritate vitæ, collectâ. Quid enim illâ castius; quid pudicius? quartum jam annum viduata marito, [*Manassê* nomen erat,] ita vivebat domestico cum gynæceo, domus

domus ut ejus schola probitatis, illa verò magistra haberetur. Hinc in ea, amplis quamvis opibus affluente, ætate formæque florente, summa vestitûs modestia, corporisque edomandi severitas; nam *lumbos* [quod sacer Historicus meminit] aspero cilio stringere solebat, & quotidianis penè jejunijs corpus affligere; Precandî verò studio sic erat ad dicta, superiorem ut ædium partem in formam cujusdam sacelli conformaret, ubi ab aditu hominum, strepitûque remota, cum puellari contubernio, pijs meditationibus, precibûsque vacabat. Hæc pietas effecit, ut DEO juxtâ, hominibûsque chara, facîle suam in sententiam flecteret Proceres. Contra quorum consensum, cùm nemini, noctis præsertim tempore, patefierent urbis portæ, exitum nocturnum Iuditha petijt, cujus causam ut nollent tantisper cognitam, rogans, donec eam eventus aperiret: Esse quædam consilia tamdiu tuta, donec tecta; id modò agerent, & meditati progressum facinoris, communibus DEO precibus commendarent. Quid non persuaderet facunda prudentia; cùm non posset non subesse arcanior vis, cæteroquin de die quoque publicum fugienti? Domum redeunt suam Primates; ipsa sublimiore acta spiritu in familiare se sacrarium [sacræ litteræ *Oratorium* appellant] refert. hîc pugnæ sese instanti præparans, cum lacerna ex pilis horrida, tanquam latiore *lorica*, hispidum cingulum mutat; galeam suppeditat *spes*, in auxiliari Numinis dextra collocata; pro *telis* sunt ardentium suspiria precum in cœlum evibrata. Præ ludium diceres, sed totis exercitibus fatale.

Atque hæc in umbra. Mox in campum proditura, satis ubi munitam se vidit ad vim propulsandam; ad vim quoque inferendam, se comparavit. Oris venustati nativæ ornatum addit vestimentorum cultu; pretium formæ excandefacit muliebri mundo; aptatur mitra capiti, digitis induntur annuli, appenduntur auribus elenchi, pedibus sandalia inducuntur; totum corpus spirat balsamum; spicula hæc erant ad pectus barbari Ducis sauciandum; tormenta ad potentiam ferocem sternendam. quamquam ipsa, quidquid hoc illiciorum blandiebatur, non ad libidinem, sed ad patriæ salutem, Numinisque honorem referebat. Holofernis amorem excitare voluit, sed honestum; parata etiam ad connubium cum eo ineundum, ut vel ad DEI Veri cultum traderet, vel è Iudæa, aut etiam vita [id enim facultatis ab altiore potestate acceperat] eijceret hominem. Et verò nihil in ejus ornatu, consilioque improbum fuisse, divinæ paginæ testantur, quæ Iudithæ *pulchritudini incomparabilem* è cœlo *decorem* adjectum fuisse memorant. Fuit itaque hic belli apparatus haudquaquam ad lasciviam incitandam, sed ad victoriam de hostibus DEI reportandam, instructus. Nunc ad certamen veniamus.

Nox erat adulta, & Iuditha, comitante *Abra* famula, comitatūque frugalem [nam & hic pio stratagemati serviturus erat] in ascopéra, gestante, moenibus urbis egreditur, fausta Primatum appreciatione eam prosequente; nemine tamen conscio propositi. Post partem noctis in precibus positam; adeò nihil sine Numinis auspicio tentabat; die jam illucescente, in speculatores Assyrios incidit; trans-

fugi-

fugium simulat; accipitur humaniter, gratiam ei & benevolentiam comparante mirabili oris maiestate. Dea aliqua videbatur in casses incidisse, digna Imperatoris connubio. Adducitur ad Holofernem lectissima præda, mox futura prædatrix; tantò namque vincebat facilius, quantò minùs timebatur. Sedebat barbarus sub conopéo purpureo, auro & gemmis radiante; prosternitur in faciem venerabunda Iuditha; statim sublevata, capit Ducem, antequam retia explicaret; quot nictus ex oculis, tot faces jaculari; quot verba promere, tot amoris illecebras spargere visa, rapuit attonitum tantæ venustatis miraculò.

Successit ex voto prima velitatio; graviore de hinc manu pugnabitur. Diverforium advenæ assignatur, illud ipsum Tabernaculum, cui Holofernes thesauros suos crediderat, & inter eos, hanc fæminarum gemmam. Accurantur cætera, quæ ad demerendam hospitam tam nobilem idonea credebantur. In ijs erant dapum lautitiæ, de mensa imperatoria ei constitutæ; quas illa modestè recusans, negabat sibi per religionem fas esse, alijs vesci cibis, quàm quos secum attulisset. Hoc unum, magni beneficij locò se petere, ut liceat sibi sub noctem, & diei crepusculum extra tentorium se efferre, ad stas ablutionum & precum vices, pro more gentis suæ, obeundas. Nihil negatur petenti. Per trinocinium igitur itum & reditum iterantem, procul suspicione habebant excubitores. Post quatrimum in castris actum, jubet Holofernes apparari convivium Assyrio splendore, & Iuditham ad id vocari. internuntius est *Vagao*, Eunuchorum Princeps, & Duci

& Duci à cubiculis , artis lenocinandi callidissimus. Condidit invitata , comparet , affidet , bibit , edit ; sed non alijs de cibis , quàm quos secum in sportula domo extulerat. Babylonij Proceres epulari hilaritate longiùs provecti , poscunt majoribus se poculis , coronant in orbem vina , donec offusa capitacaligo temulentos deposuit. Ante omnes ratio pedesque lababant modimperator ; quare merò , somnòque gravis defertur cubitum. Inducitur idem in conclave Iuditha ; obserantur fores ; omnia parata sunt ad flagitium. Columbam diceret in accipitris unguibus , nisi fortior protegeret manus. Sed nimirum Spiritus ille , qui Iuditham excitavit ad facinus supra sexum suum moliendum , adfuit in arena consistenti , seque flagrantibus votis ad ictum paranti. incendebat animum ad audendum sobrius pudor , patriæ amor , fiducia DEO plena.

Tyrannus interea altos de pectore somnos proficere , & sui , & cogitati immemor , impòsque flagitij. Monuit opportunitas matronam exequendi consilij ; quare facinus longè fortissimum aggressura , novum è coelo robur precatibus haurit ; arripit deinde acinacem , seu gladium Persicum , ad caput lectuli pendentem [lampas de tholo suspensa lumen præbebat] quantòque potest virium nisu , in obefam cervicem incutit ; geminatum ictum , sequitur caput. id illa mox conopeo [sub quo Tyrannus confidere assueverat] involvere , truncù corpus in terrà evolvere , caput abscissù pedisequæ foris præstolanti tradere ; hæc illud peræ suæ immittere ; inde properanter ambæ castra & vigilias prætergredi , mœnibus

bus Bethuliae silentio noctis succedere, datoque adventus sui indicio, in urbem admitti. Ingens continuò civium & magistratuum concursus, tantò majori omnium noscendi aviditate, quantò minore revidentæ Judithæ expectatione. Factò silentio, rem omnem enarrat Virago, caputque Holofernis cum conopeo ostentat. vix habetur fides oculis; hærent aliquamdiu attoniti in aspectu truculenti vultus. mox securi cædis peractæ, incredibile dictum est, quantis congratulationum & gratiarum actionibus DEO, Judithæque laudes ingeminatæ. Evocatus nominatim Achior, ubi verticem barbari Ducis oculis subjecit, in stuporem & animi defectionem datur. Sibi redditus, pervolvitur ad pedes Heroinæ, deosculatur manus triumphales; & ne quid ad communem lætitiā deesset, se quoque victum professus, ejuratis idolis Ammoniticis, Iudaica Sacra amplectitur.

Cæterum ubi illuxit, & dies suspensum pro mœnibus Bethuliae, Holofernis caput ostendit; tantum hostibus terroris, quantum audaciæ civibus injectum est. Erumpitur è civitate; magnis animis & clamoribus in Barbaros itur. Turbatur, & tumultuatur totis Assyriorum castris. Concursio, & confusio ad arma conclamantium, ac Imperatorem ad curas militares vocantium. Accurritur ad Ducis tabernaculum, excitatur nequicquam strepitus; denique per fores surdas irrumpitur. Et ecce, horrendum spectaculum! truncum, taboque cruentum Holofernis cadaver apparet, humi provolutum; Juditha frustra quæritur; *Mulier Hebræa*, cædis auctor, per omnia castra diris, devotionibusque

que jactatur. Tum verò, ubi hinc Bethulienſes ferociter imminebant; inde, nec qui imperia dividerent, nec qui acciperent, erant; velut amentes & lymphati, quâ cuique ad fugam patuit via, per campos & colles, præcipites feruntur Babylonij, ſine ſignis, ſine ordinibus. Nec arduum fuit Iudæis, undique jam concurrentibus, palabundum exercitum, ſine capite truncum concidere. Paſſim cædes, ſpolia, triumphî; colligendæ prædæ vix ſpatio mens ſufficiant. Opimæ Ducis manubiæ, prout par erat, omnium inter applauſus & gratulationes Victrici Heroidi cedunt; quas tamen ipſa pro ſuo mo-deſtiæ & religionis affectu, DEO Victoriæ Largitori pro anathemate & trophæo, in Templo Solymæo conſecravit; ubi votis & gratijs ſolenniter inſtauratis, tanti memoriæ beneficij, auctore Ioachimo, Pontifice Summo, trium conſequentium menſium feſti dies celebrârunt, & redeuntibus annis iterârunt.

Annos erat nata triginta tres Iuditha, quando nobiliſſimum facinus patravit; provixit ab eo tempore ſeptuaginta duos; univerſim centenos quinos, omnium laudum æternæque gloriæ fæmina; virtutis ac pietatis, etiam inter Chriſtianos admirandæ, imitandæque. Longè clarior ex triumpho, quem de ſe ipſa, quàm quem de Babylonio hoſte egit. In ætate florida caſtitas ſine labe; inter discrimina pudicitia ſine læſione; in formæ prodigio, concordia honeſtatis; viduitas inter opes, afflictatio corporis inter illecebras vitæ; frequentia precationum in ampla familia; demiſſio mentis in ſummis honoribus; tenor probæ juventutis in longæva ſenectâ; conſtans

trans præconium in inconstanti vulgo, totidem sunt
Triumphales Tituli, quos secum intulit monumen-
to laureato; consors ejus in tumulo, cujus fuerat
in thalamo; redijt ad eum mortua, post quem, ad-
misit alium nullum viva, communi cum Manasse
marito, sepulchro condita. Virtutis odor, post
tot annos à relata victoria lapsos, spiravit etiam
tum, cum publico luctu elatae, Senatus, Populus-
que Bethulienſis ſeptiduum exſequiale impendit.
Sed encomiorum omnium ſumma eſt, ejus fuiſſe
Typum Virginis, quæ pedibus contrito Serpente,
Holoferne infernali, Populo DEI in extrema miſe-
riarum adducto, præſentem ſalutem & triumphum
attulit, dum Filium ſuum, Mundi Salvatorem de-
dit. Huic nobiliore titulo conveniunt illa Iudithæ
præconia: *Tu gloria Ierusalem, Tu lætitia Iſraël, Tu ho-
norificentia populi noſtri.*

NARRATIO CII. SUSANNÆ CASI- TAS FORTIS.

Daniel. cap. 13

Anno Mundi 3437. ante Chriſtum 616.

HOneſtum ei vile eſt, cui vita eſt nimis cha-
ra. Satiùs enim vitam corporis perdere,
quàm animæ, id eſt gratiam DEI. Poſt-
quam Nabuchodonosor cognomento Magnus Ioakimum,
Solymorum Regem, cum flore Iuventutis interfe-
cit,